



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 50. Epistola Lutheri ad Carolum V. Imperatorem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI „ generali ejusmodi inesse potestatem,  
 A.C. 1520. „ quod tamen admitti non posset. „

§. L.

*Epistola Lutheri ad Carolum V.  
 Imperatorem.*

Cochl. de  
 script. Luth.  
 1520.  
 Inter epist.  
 Luth. ad Car.  
 V. tom. 2.  
 protest Luth.  
 ad Car. V. t. 2.  
 p. 144.  
 Uemb. c. 3.  
 Rayn. ad an.  
 1519. n. 54.  
 Sleid. in  
 comm. l. 2.  
 p. 47.

Dato hoc responso paulo post Lutherus ad Carolum Neo-electum Cæsarem scripsit, eo consilio, ut illum ad suas pertraheret partes. Dabat hanc epistolam Anno millesimo quingentesimo vigesimo die decima quinta Januarii, in qua præprimis veniam petiit temeritatis, qua, cum nonnisi vilis esset homuncio, Cæsarem literis interpellare præsumeret, dein illum rogat, ut sese ad ipsum inclinare velit ad imitationem Divini Numinis, cujus providentia suam sollicitudinem etiam ad minima quævis extendit; demum Cæsarem orat, & obsecrat, ut eum in fidem suam recipiat, eo modo, quo Constantinus in pari vexatione, quam ipse patitur, Sanctum Athanasium fovit; his præmissis ita prosequitur; editi sunt a me nonnulli libelli, quibus multorum & magnorum mihi constavi invidiam, & indignationem, ubi debui duplici præsidio tutus esse. Primum, quod invitus in publicum veni, nec nisi aliorum vi & insidiis proditus, scripsi, quicquid scripsi: deinde quod, teste mea conscientia, ac optimorum viro-  
 rum

rum iudicio, non nisi Evangelicam veritatem Sæcul. XVI. A.C. 1520.  
 studui evulgare, adversus superstitiosas hu-  
 manæ traditionis opiniones. Propter quas  
 tertius jam finitur ferme annus, ex quo pa-  
 tior sine fine iras, contumelias, pericula, &  
 quicquid mali potest excogitari. Frustra  
 veniam peto, frustra silentium offero, frustra  
 pacis condiciones propono, frustra erudiri  
 meliora postulo: unum in me paratur, tan-  
 tum ut extinguar cum universo Evangelio.  
 Cum autem omnia frustra tentarim, visum  
 est tandem exemplo S. Athanasii Imperato-  
 riam Majestatem invocare, si forte Dominus  
 dignetur per eam meæ causæ adesse. Po-  
 stea subjungit protestationem, qua se, si  
 hæresis convinceretur, omnis præsidii in-  
 dignum fore profitetur, sed ne hoc quidem  
 promovi, inquit, quod me sæpe numero, &  
 multifariam obtulerim (ut filius supplex &  
 obediens S. Ecclesiæ Catholicæ) taciturnum  
 si per meos adversarios liceat, omnium U-  
 niversitatum non suspectarum cognitionem,  
 & sententiam passurum, coram non suspectis  
 iudicibus, sacris & profanis, sub fide pu-  
 blica humiliter compariturum, eorumque co-  
 gnitionem, & sententiam accepturum. Ve-  
 rum hisce Literis Cæsar nullum dedit  
 responsum, rem, ubi in Germaniam ve-  
 nerit, discussurus.